Nr. 196 Clariss. doct. Casparo Crucigero Wittebergæ.

Pax Christi.

Venerande vir, pares aiunt cum paribus facillimè congregari: Ego vero quemadmodum eruditione artium humanitatis longè infra tuam excellentiam subsido: ita in reliquis animi dotibus nihil affero quod amicitia tua dignè videatur. Atq; huius quidem indignitatis conscientia me à scribendo abstinuisset, nisi tam certa tuæ erga me voluntatis significatione provocatus fuissem. Sed hæc fortassis inter eos qui summum bonum pietate metiuntur, suasq; omnes cogitationes ad res perpetuas transferre moliuntur, tam anxiè ad calculos revocari non debent. Illud certè cum Doctore Crucigero non prorsus dissentiunt mihi, quod indè usq; ab adolescentia multis obiectus malis crucibus, re ipsa coactus sim meum inter cruciatos nomen ingenuè profiteri. Huc accedit vera & constans veritatis professio quod esse aiunt firmissimum vinculum Christianæ coniunctionis. Cui quidem tametsi nos compitalitij Doctores ab Academiæ vestro splendore distamus longissimè: tamen quia efficimus pro opibus nostra mœnia, et studio veri animos intendimus, Dominum anxie quærentes: unum haud dubie inter nos, et unius membra corporis sumus. Cuamobrem quando me isthuc provocas, amemus inter nos frater venerande. Vel propter veritatem DEI, τὴν μετ' ἀλλήλων· καὶ μετ' ἀλλήλων ἐν τῇ ἀληθείᾳ· amemus autem non verbo aut lingua solum sed opere et veritate. Id quod ego cum Deo me facturum recipio. Tu tuis lucubrationibus meum quotidie studium adiuvans re ipsa præstas. Lucem illam doctrinæ superioris et quendam Ministerij Spiritum importunis quorundam clamoribus è conspectu nostro, imo è cordibus hic amisimus. Si non est in sermone sed in Spiritus virtute positum DEI regnum, vereor ut in plerisq; Flacianorum coronis pro vero, quidam adulterinus regnet CHRISTVS. Sed ego hanc querelam veterem omitto ne quid videar extra modum mei captus sapere voluisse. Pro domo tua humanitatis clarissime Doctor habeo magnam gratiam, et memorem animum neq; ingratum promitto. De bello Bestiæ et Pseudoprophetarum cuperem aliquid, sed nihil hic certi affertur. Quasi clausum sit belgium: ita post Mosam nuper transmissum nihil huc renunciatum est quod esset dignum commemoratione. O si respiciat Dominus angustias Ecclesiarum et adiuuet consilia piorum principum. Amen. Vale vir doctissime. Octauo Cal. Decembr. 1.5.6.8. Brunæ.

Johannes Molanus

[= Mscr. A. 12: Nr. 146]

primeps per Mosam flumen extractum degit

D. philippo Marnixio Oldegundensio.

Pax Christi.

Nr. 197 Credo vobis esse iam pridem renunciatum meam Alethcam mihi bonis auspiciis nupsisse. Conficiebar ærumnis miser tum domi, tum publicè. Versus erat succus meus in aqtina cremia. Cor meum exarserat velut herba resecta. Quam opportune hanc sopi DOMINVS adduxit domum et prorsus in manum dedit! Ex mille mulieribus si data electio fuisset non potuerant faxilli facilius excidisse. Quorsum hæc? primum ut apud fratres prædicem Dei beneficium. deinde ut nunc amico gratulemini cuius vos scio nuper misertum esse. Postremo ut minus id graviter feratis, quod serius vestris litteris respondeo quum non ignoretis, quantam sibi vim comparet negotij: quisquis vel navem vel uxorem audet comparare. Nunc ad epistolam tuæ humanitatis venio, cui essi nihil limatè, singulatim tamen et familiariter respondebo. Primò approbat illud amicitiæ nostræ fundamentum quod est in altera Johannis epistola, nempe veram et constantem veritatis professionem, quod est haud dubie, firmissimum vinculum Christianæ coniunctionis. Cuo sublato nihil a me potest afferri, quod tantum animum exsuscitet ad diligendum. Nam quod inter nos epistolas vis ultro citroq; commeare, quamuis huic officio deesse non debeo, nequeo tamen quinquam excludere quod aliquod pondus habeat in amicitia nostra conseruatione. Sed me teneat tuum placidissimum ingenium quod sua æquitate pensabit (ut spero) quæ senseris officio nostro non tam neglectu quam insertia defuisse. De publicis quid loquar? quorum ea est facies, ut sine horrore nequeat spectari. tanta est ubiq; ἀταξία et deformitas. ut animus luctu refugiat. Ecclesiæ vero tanquam deuotæ Christo virgines, su vexatæ sunt iam pridem et compressæ, ut eis mors durior sit vita. Quid opis Auriacus afferat, eventus ostendet. Quid Saxones, quid Germani? quid vicinæ gentes quæ iam tot annis floruerunt Euangelii gloria? ὦ λίαν πικρὸν ἐστῶν ἡ. Καὶ ὀνειδίζουσιν ἔλοιφως. O pietas, ô prisca fides, et conscia virtus. Gallorum disidia Condæus obiecit (ut narrant) et iam potitus est rerum. Inde (ut opinor) aliquid animi et præsidij accedet pijs principibus qui nostras Ecclesias ab infinito nino ad inferis reuocare moliuntur. Cuibus quid succedat scire nequeo. nihil enim huc renunciatur, nisi varium et falsum fictumq;. O si reuertatur Iehoua et placetur seruis suis. Cuiusmodi inanes stipites facta sunt speciosæ arbores in vicino nostris ædibus po-

[= Mscr. A. 12: Nr. 147]

mario